

dem esse artificis cuius est ea que proxime sequitur, & eadem febri laborantis. Deum immortalis, que fuit impudentia hoc tribuere Damaso: cuius elegantiam etiam in scribendis verbis approbat Hieronymus, & exant alia quedam ejusdem de quibus character hominis deprehendi possit. Saltem musasset aliquantulum sermonis habitum, cum nunc Damascus pro Dama, nunc Hieronymus videri studet. Sed quid faceret? cupressum modo simulare norat, nec alium habebat sermonis florem. Cumque decesser fallendi facultas, animum tamen non desuisse declaravit. Non saltem illud cavet, ne sacerdotem vocaret, qui non esset Episcopus, cum coseculo non vocarentur sacerdotes nisi Episcopi? demiror eum non eadem opera vocavit cardinalem, cum hoc vocabulum illis temporibus adhuc fuerit inauditum.

DAMASUS HIERONYMO.

DAMASUS Episcopus fratri & compresbytero Hieronymo in Domino salutem. Dum multa corpora librorum in meo arbitrio oblata fuissent: contigit ut librum psalmodum in meo animo festinus cognoscerem detineri, & memoriam capacitatis meae imbueret. Cogitavi frater amantissime & in Christo semper sacerdos, ut secundum septuaginta interpretis, id est, Mathiam & Ptolemæum, Mochium, Sacreum, Hydronium, Pamphilum, Zoastrem, Didymum, Sanium, Epiphanium, Ciatrem, Simonem, & ceteros in quantum nostra recurrit conscientia, de septuaginta invenire vestigia. Peto item charitatem tuam ut sicut a creatore tuo Alexandro coopiscopo nostro didicisti in gremio Græcorum psallere: ita & ad nos tua fratritas dirigere delectetur: quia tanta simplicitatis indago est apud nos, ut tantum in die dominica Apostoli Epistola una reciteret: & Evangelii capitulum unum dicatur: & nec psallendi mos tenetur: nec hymnidicus in nostro ore cognoscitur. Peto ergo per fratrem & compresbyterum nostrum Bonifacium: ut jubeat fratritas tua rei hujus nobis aperire vestigium. Missa quinto kalendas Novembris per Bonifacium presbyterum Jerosolymam.

CENSURA EPISTOLÆ SEQUENTIS.

Nihil veteris quantumvis sancte dejerare, non caruisse ferri quiquis hanc scripsit Epistolam. At primum demiror, nullum fuisse tam stupidum, aut certe quatuor qui speravit futurum, ut hac Epistola, qua nihil fingi potuit nec insulsum, nec indoctum, nec infantium, a quoquam pro Hieronymiana legeretur. Sed nihil est tam absurdum in rebus mortalium, quod non reperiat approbatorem. Quid non audivant histriones isti, posteaquam viderint huic etiam impudentia non desuisse successe? Inveni sunt tam nullis auribus, tam nullis oculis, imò tam nulla mente, ut has nugacissimas nugas ab Hieronymo scriptas putarent? At quis non ex ipsa statim salutatione deprehendat impostorem, nisi prudens clausit oculos? Damasco sedis Apostolice urbis Roma Hieronymus supplex. Quas, quando sic unquam salutavit Hieronymus? Deinde quam concinnè rem ingreditur: Legi literas Apostolatus tui poscentes, & reliqua que sequuntur, tam insulsa, tanquam frigida, ut Jovinianus ipsi cuius infantiam tot salibus inspectatur Hieronymus, ad hunc collatus, Cicero quispiam videri possit.

HIERONYMUS DAMASO.

BEATISSIMO Papæ Damaso sedis Apostolice urbis Romæ, Hieronymus supplex. Legi literas Apostolatus tui, poscentes ut secundum simplicitatem septuaginta interpretum canens, psalmodographum interpretari festinem propter fastidium Romanorum: ut ubi obsecutus impedit, apertius & Latine trahatur sensus. Precatur ergo eliens tuus, ut vox ista psallentium in sede Romana die noctuque canatur: & ut in sine cujullibet psalmi, sive matutinis horis sive vespertinis conjungi præcipiat Apostolatus tui ordo, Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto: Sicut erat in principio & nunc & semper, & in sæcula sæculorum Amen. Istud carmen omni psalmo conjungi præcipias: ut fides trecentorum decem & octo Episcoporum Niceni Concilii, etiam vestri oris consortio declaretur. Ubi autem Deus & homo honorabili voce cantatur, Alleluia semper cum omnibus psalmis affigatur: ut in

omni loco communiter respondeatur nocturnis temporibus. In Ecclesia autem post resurrectionem usque ad sanctum Pentecosten finiat: inter dierum vero spatia quinqueagesimæ, propter novitatem sanctæ Paschæ, vox ista laudis canatur in Aleph: quod Græcè prologus, Latine præfatio dicitur.

ITEM HIERONYMUS DE DUODECIM Doctoribus.

VIS nunc acriter, mi frater Desideri, ut tibi quasi de luminariibus que toto firmamento mundi resurgent, pauca de scriptoribus qui nobis multa de obscuritatibus que propter carnalem mentem intelligentiam impediunt, ad splendorem considerationis spiritualis proferre poterunt, manifestissime dicam. Sed vereor Suffanæ Helchiæ filie ne in me sententia iniquo iudicio presbyterorum dicentis impleatur: Angustia sunt mihi undique, & mihi similiter sunt angustia. Si enim voluero aliquem ex his reprehendere, adversarios atque inimicitias mihi ubique concitabo: Si autem nolero, quod postulasti nunquam invenies. Sed unius tantum voluntatem condemnare, quam multorum consilia transire vel despiciere melius esse videtur. Quia unusquisque eorum in Scripturis sanctis diligenter laudari meruit. Sed omnes leviter leviterque cum omni timore tangam ut utrumque pacifice impleam.

AUGUSTINUS Episcopus volans per montium cacumina quasi Aquila, & ea que in montium radicibus fuerint non considerans, multa celorum spatia, terrarumque situs & aquarum circulum claro sermone pronuntiat. Qui enim in lignum fructuosum ascendere vult, paulatim ad superiora & majora poma carpere festinat, ramos autem proximos parvulis relinquit. Nos autem parvuli sumus infirmique atque minores: si inferiora cogitare voluerimus, nobiscum bene agitur.

HILARIUS Episcopus lucifer Romanorum, Ecclesiarumque lucerna & pretiosus lapis, ad quem mortalia vix ascendunt pulchro sermone aureoque ore universa loquitur. Si ejus aliqua secus viam cecidisse potuissent; tamen ab eo in scripturis messis magna exorta est.

ORIGENES Adamantius altiora ac majora cogitans, proprioque ingenio non sufficiens, aliud subnectit. Et cum hac nimio mentis ardore cogitasset, oneribus majoribus caricabat se: & cum sic incedere non potuisset, ruina magna illuc devolutus est, ut ruina ejus parasset ad doctrinam ejus aliquas seductiones ineptas: multoque de via recta vocibus in aliam viam perduxit, & venenum quasi tinnulis Syrenarum canticis pluribus nocere potuit: Mesior omnibus in bonis: pejor in malis. Alia vera verò secus viam seminata sunt: multi tamen discipulorum ejus pessimi multa venenosa sub nomine ejus edidisse testantur.

EUSEBIUS Cæsariensis clavis scripturarum, custosque novi Testamenti multis major in conscriptione esse à Græcis condemnatur. Tria sunt præclara que hoc in operibus ejus testatur: Canones quatuor Evangeliorum, quindecim historie Ecclesiasticæ, que novum Testamentum narant, atque custodiunt, & Chronicon, id est temporum breviarium & omnia ejus vestigia quo iterare potuisset nunquam reperimus.

HELIODORUS presbyter domum amplissimam per modicum formam aspiciens, tentansque ostia conclusa, clavemque non habens, vix pauca ad lucem prodere convaluit: sed que potuit narrare, fideliter narravit.

AMBROSIIUS frater profundorum penna raptus & veris volucer, quamdiu in profundum ingreditur, fructum de alto carpere videtur. Et omnes sententiæ ejus fidei Ecclesiæ & omnium virtutum firmæ sunt columnæ.

DARDANUS quoque multas quæstiones arripiens per mentis astutiam nucemque circa nucleum non confringens, multa impossibilia de scripturis cum fiducia loquitur.

PAULINO visum est magister fieri, & non erat ante discipulus, & fructum sine radice oriri ferique tentavit: ideo ejus conscriptiones scriptore & charta non indigent.

PELAGIUS de qua apud fideles sermo est, de quo etiam & mihi gravis disputatio verborum pene in toto orbe annunciata est; quem omnes Ecclesiæ quasi lupum de sil-

Ex MS. Annuat. Florent. Ser. v. tarum. Collat. ad S. Crues. Minoniam Florent. col. 272.

* al. amore.

* al. congregate.

* al. aliquid.

* al. ad doctrinam.

* al. veneno se.

* al. undecim.

* per.

* causa disputationis.

VA * cognominant, aureum colorem super nigrum venenum componens, fontem dulcem primi mellis amaritudine maritæ commiscuit.

JOVINIANUS leta facie & corde aspero, potu dulcissimo commixto multos potavit, & contrarias sententias per odium occasionis Christianis proferens composuit: & me quamquam in omnibus laboriosum, assidue quæstionibus infinitis afficit & vexat.

JULIUS Africanus cuius vestigium omnes Orientales Australesque diligenter unanimiterque in Daniel hebdomadibus investigant, universa temporum spatia cum omni periticia jugique sermone construxit. Et nulla ab omnibus que dicta sunt per eum, in toto orbe unquam data est contradictio.

FAVONIUS à multis culpabilis, dura sententia, fortiterque universa difficilia ingerere conatus est. Et quasi qui contra undas maris navigare non potest, vel contra impetum torrentis validi natere non valet; ita cuncta que scripsit contra Scripturas sacras, consistare non poterant: ideo quasi umbra secus homines sunt.

CENSURA EPISTOLÆ SEQUENTIS.

De hoc opusculo non possum aliud iudicare, quam quod ipsum pra se fert. Nec ipsa febris quicquam scribere possit infans, nec ipsa remulencia remulentiis. Deinde quid stultius, quam ubi professus sit se de luminariibus toto mundi firmamento lucentibus didicisse, Pelagium, Jovinianum, & consimiles inculcare tenebriones. Ad hac quam bello digerit ordine Catalogum, Augustinum omnium ætate postremum, primo recensens loco: quosdam sic admiscens, ut nescias de quibus loquatur. Ambrosium fratrem vocat, Heliodorum presbyterum. In summa non queo suspicari, quid isti bubulco veneri in mentem, nisi quòd aliquis inepie favens Augustino, eum hoc tam bello monuito voluerit cohonestare. Et tamen hac stupidissima bellua affectavit ut Hieronymus videretur, cum de Joviniano loquens, & me inquit, quamquam in omnibus laboriosum assidue quæstionibus infinitis afficit & vexat. Et ne quis dubitaret hunc esse Hieronymum, in sine at exiit tres vitas ex Catalogo quem scripsit Hieronymus de viris illustribus, Hilarii, Damasi, & Gregorii Nazianzeni. Ne quid mireris optime lector, si videor hac cum somacho scribere. Quis enim vel literis favens, vel tam incomparabilis viri gloria, non indignè ferat, tam indocta, tam stulta, tam insana blateramenta in Hieronymi conferri nomen?

SCRIPTORUM ECCLESIASTICORUM Catalogus ad Desiderium.

VIS nunc acriter mi frater Desideri, ut tibi quasi de luminariibus, que toto firmamento mundi resurgent, pauca de scriptoribus, qui nobis multa de obscuritatibus, que propter carnalem mentem intelligentiam impediunt, ad splendorem considerationem spiritualem proferre poterunt, manifestissime dicam. Sed vereor Suffanæ Helchiæ filie, ne in me sententia iniquo iudicio presbyterorum impleatur, dicentis: Angustia mihi undique sunt, & mihi similiter sunt angustia. Si enim voluero aliquem ex his reprehendere, adversarios atque inimicitias mihi undique concitabo. Si autem nolero, nunquam que postulasti invenies. Sed unius tantum voluntatem condemnare, quam multorum consilia transire vel despiciere, melius esse videtur: quia unusquisque eorum in Scripturis sanctis diligenter laudari meruit, sed omnes breviter leviterque cum omni amore tangam: ut utrumque pacifice impleam.

AUGUSTINUS Episcopus volans per montium cacumina quasi Aquila, & ea que in radicibus montium sunt, non considerans, multa celorum spatia, terrarumque situs, & aquarum circulum, claro sermone pronuntiat. Qui enim in lignum fructuosum ascendere vult, paulatim ad superiora & majora capere poma festinat: ramos autem proximos parvulis relinquit. Nos autem qui parvuli sumus, infirmique atque minores: si inferiora congregate valuerimus, nobiscum bene agitur.

HILARIUS Episcopus Romanorum, lucifer lucernæque Ecclesiarum, & pretiosus lapis: ad quem mortalia vix ascendunt, pulchro sermone aureoque ore universa loquitur.

Est enim aliqua secus viam cecidisse potuissent: tamen ab eo in scripturis messis exorta est magna.

ORIGENES Adamantius, altiora ac majora cogitans, propriumque ingenium ferre non sufficiens, dum aliud loquitur, per aliud se necit. Et cum hac nimio mentis ardore cogitasset, oneribus majoribus caricabat se: & cum sic incedere non potuisset, ruina magna illuc devolutus est, ut ruina ejus pareret doctrinas per aliquas seductiones ineptas, multoque de via recta in aliam viam perduxit: & venenum ejus quasi tinnulis vocibus, syrenarumque canticis plures necare potuit. Melior omnibus in bonis, pejor in malis. Aliqua verò per eum secus viam seminata sunt: multi tamen aliquos ejus pessimos discipulos, multa venenosa sub ejus nomine edidisse testantur.

EUSEBIUS Cæsariensis clavis scripturarum, custosque novi testamenti, multis major in conscriptionibus à Græcis comprobatur. Scripsit quatuor canones Evangeliorum: & undecim libros historie Ecclesiasticæ, qui novum Testamentum narant atque custodiunt: & Chronicon, id est temporum breviarium. Hac tria sunt præclara, que in operibus ejus testantur: & nos ante omnia ejus vestigia qui imitari potuissent, nunquam reperimus.

HELIODORUS presbyter domum amplissimam per modicum foramen respiciens: tentansque ostia conclusa, clavemque non habens, vix pauca ad lucem prodere convaluit: sed que potuit narrare, fideliter narravit.

AMBROSIIUS frater profundorum penna raptus, & acris volucer, quamdiu in profundum ingreditur, fructum de alto carpere videtur. Et omnes ejus sententiæ, fidei Ecclesiæ & omnium virtutum firmæ sunt columnæ.

DARDANUS multas quæstiones arripiens per mentis astutiam, nucemque circa nucleum non confringens, multa impossibilia de scripturis cum fiducia loquitur.

PAULINO visum est magistrum fieri: & non erat ante discipulus: & fructum sine radice oriri ferique tentavit. Ideo ejus conscriptiones, scriptore & charta non indigent.

PELAGIUS de quo apud fideles sermo est, de quo etiam & mihi gravis causa disputationis ejus verborum pene in toto orbe annunciata est: quem omnes Ecclesiæ quasi lupum de sylva mirantur, aureum colorem super nigrum venenum componens, fontem dulcem primi mellis amaritudine maritæ commiscuit.

JOVINIANUS leta facie, & corde aspero, potu dulcissimo commixto, multos potavit: & contrarias sententias per odium occasionum Christianis proferens composuit: & me, quamquam in omnibus laboriosum, assidue quæstionibus infinitis afficit & vexat.

JULIUS Africanus, cuius vestigium omnes Orientales Australesque diligenter unanimiterque in Daniel hebdomadibus investigant, universa temporum spatia cum omni periticia jugique sermone construxit: & nulla ab omnibus que dicta sunt per eum in toto orbe unquam data est contradictio.

FAVONIUS à multis culpabilis, dura sententia fortiterque universa difficilissima ingerere conatus est: & quasi qui contra undas maris navigare non potest, vel contra impetum torrentis aquæ natere non valet: ita cuncta que scripsit contra Scripturas sanctas, consistare non poterant: Ideo quasi umbra secus hominem sunt.

HILARIUS Picavorum Aquitanie Episcopus, factione Saturnini Arelatenis Episcopi, de synodo Byterensi in Phrygiam relegatus, duodecim adversus Arianos confecti libros: & alium librum de synodis, quem Galliarum Episcopis scripsit, & in psalmos tres commentarios, primum videlicet & secundum: & à centesimo decimo octavo, usque ad extremum. In quo opere imitatus Origenem, nonnulla etiam de suo addidit. Est ejus ad Constantium libellus, quem viventi Constantinopolim direxit: & alius in Constantium, quem post mortem ejus scripsit: & liber adversus Valentem & Ursatium, Ariminensis & Seleucensis synodi historicorum continens, & ad præfectum Salustium, sive contra Diocorum. Et liber hymnorum & mysteriorum: alius & commentarius in Mattheum, & tractatus in Job, quos de Græco Origenes ad sensum transtulit. Et alius elegans libellus contra Maxentium, & nonnulla Epistolæ ad diversos. Aiunt quidam scripsisse eum & in Canticum canticorum: sed à nobis hoc opus ignoratur. Mortuus est Picavis Valentiniano & Valente regnantibus.

DAMASUS Romanae urbis Episcopus, elegans in verbis componendis ingenium habuit: multaque & brevia metra edidit: & prope octogenarius sub Theodosio principe mortuus est.

GREGORIUS Nazianzenus Episcopus, vir eloquentissimus, praeceptor meus, ex quo scripturas explanante didici: ad triginta millia versuum omnia sua opera composuit: ex quibus illa sunt de morte fratris Cypriani: laudes Athanasii, laudes Maximi Philofophi post exilium reversi, quem falso nomine quidam Herona subscripserunt: quia est & alius liber vituperationem ejusdem Maximi continens, quasi non licuerit eundem laudare & vituperare pro tempore. Et liber hexametrio versu virginitalis & nuptiarum contra se differendum. Adversum Eunomium libri duo. Et de Spiritu sancto liber unus. Contra Julianum imperatorem liber unus. Secutus est Polemonem dicendi caractere: vivoque se Episcopum in loco suo ordinans, ruri vita monachi se exercuit: decessitque ante hoc ferme triennium sub Theodosio principe.

CENSURA EPISTOLAE SEQUENTIS.

Ne tantulus quidem in hac Hieronymi gustus, ino barbarum quiddam ac notericum sapit.

AD PAULAM ET EUSTOCHIAM de virtute Psalmorum.

QUIA me dulcissima filiae meae, in spe misericordiae Dei petistis: ut vobis diversos psalmos per orationem sequerem, qui ubi psalli debeant: Vos quoque ego petii pro me deprecare Dominum Deum nostrum, ut dono suo mihi concedere dignaretur, quo possim sanctam petitionem vestram arripere, vel ipso donante complere: in cuius misericordia sperans (prout Dominus concedere dignatus est intellectum humilitati meae) necesse habui tam sanctae petitioni vestrae, pro affectu Domini nostri obedire. Pro quo opere si nobis gratia fuerit integrè assignata, de omnibus quaecumque dicta sunt, ipsi Domino nostro omnipotenti pro humilitate mea orantes, gratias referte: qui etiam athena loqui praecipit quae ipse Dominus voluit.

Licet enim universi psalmi qui requisitus fuerit, legis divinae propemodum omnia habeant, tamen donante Deo & Domino Jesu Christo & Spiritu sancto in confessione Trinitatis, qui psalmi propriae ad singulos dies feriatos Domini Salvatoris nostri Filii Dei pertineant, sequestratim exposuimus: Qui ad natalem, qui ad sanctam Epiphaniam, id est, ad baptismum dominicum sive apparitionis stellae diem: & qui in quinta feria ante passionem Domini: & qui in ipsa passione dominica, qui in pascha resurrectionis ipsius Domini nostri redemptoris: & qui in ascensione ejus in caelos: qui etiam in adventu ejus: & qui de iudicio futuro: & qui de civitate aeterna, in qua Christus Dominus noster, sanctos suos à principio mundi usque ad finem hujus saeculi, sibi congregat seculum conregnatos in aeterno regno caelesti, sanctus Dominus, trinus & unus Deus aeternus: qui etiam ad Dominum Deum deprecandum in litania: vel qui à penitentibus psalli debeant: qui etiam in natali sanctorum dici debent. Caeteros vero psalmos invenies qui quotidie legendi sunt.

Omnes tamen psalmi quotidie in toto anno per ordinem psalli possunt, secundum consuetudinem Ecclesiarum & monasteriorum. Sanè qui legis, considera quia unus psalmus ad multos dies sanctos pertinet: & psalmi Deo multipliciter iterantur per singulos dies. Nam est psalmus qui ubique psalli potest. Alii iterum sunt qui ad unius diei figuram pertinent, ad paulantes vero qualis personae fieret: utrum religiosae an laicae. De psalmis qui quinta feria ante passionem: aut qui in ipsa passione Domini dicuntur: atque in natalibus sanctorum exinde eligendi sunt psalmi: ita etiam de canticis Prophetarum fecimus, ut non in diebus supradictis confuse psallantur: sed qui in quo die dici debeant qui legis invenies.

Ad majores operas pertinet psalmus LXXXVII. Caerechumenis & electis XXXIII. Per jejunium XIX. XXXIII. & LXXXII. De baptismo per pascha LXXXIII. De lamentatione CXXXI. Ad conventionem fratrum CXXXII. Ad benedictionem CXXXIII. Ut laudes ante Deum fundantur, nonus. Ut peniteat ho-

mo, quinquagesimus. De fixa fide X. De monendo, centesimus octavus. Ut oculum pudicitiae agas, primus. De vigiliis in grabbato VI. De iustitia XIII. De honesta oratione, octogesima quintus. De communione cum omnibus hominibus vel pauperibus XL. De natali Domini CIX. De trinitate, ut non timeatur homo IX. De insidiis haereticum III. De monendo proximum IIII. De spe in Deum XII. De crudelitate X. De oratione in homine XXX. Benedictio super principes XX. De amore legis XXVI. De tribulatione inimicorum, vigesima quintus. Ut creatura creatorem laudet CII. De martyrio XLVIII. & L. De persecutoribus LXXXII. Dum intras ad alienigenam LXXXI. Oratio super agrum LXXXIII. Oratio nocturni temporis, nonagesimus. Oratio ad altare, tricesimus tertius.

CENSURA EPISTOLAE SEQUENTIS.

Et hic quisquis fuit conatus est suas neugas Hieronymiani nominis umbra praeferre. Quam apud vero congerit autorum nomina, è quibus tamen nihil adducit, quia nihil illorum legerat. Chrysostomi commentarios nominatim citat: cum dicit Hieronymus Chrysostomum proteris ignoravit, ut taceam interim aetate divi Hieronymi non solere quemquam à communione depelli, quod novo verbo vocant excommunicari, nisi qui ad eam pertinisset Ecclesiam. Quam vero sermo agit rem de panibus non eripiendis. Credas ventrem loqui, non hominem.

AD DAMASUM DE OBLATIONIBUS altaris.

NOVERIT sancta autoritas tua Papa venerande: quia de quaestione quam clientulo tuo proposuisti, & congrua responsa per Epistolam mandasti, hoc est de panibus à fidelibus in altari oblati: quis illis iure uti debeat. Quantum à praecipuis Ecclesiae doctoribus investigare valui: in paucis tibi rescribere curavi. Testes autem idonei quos ad hanc rem corroborandam concitavi, hi sunt: Gregorius Nazianzenus mirabilis doctor, Cyrillus, Athanasius, Theophilus, Anatolius, Joannes Chrysostomus, Eustachius, Eusebius chronographus, & noster Hilarius: qui omnes uno ore eodemque consensu veluti vera sancti Spiritus organa, anathematis mucrone censent esse feriendos, qui in usus laicorum panes oblationum contulerint: quia omnino sacerdotibus solis debentur: nisi forte religionis gratia, laici pro benedictione de manu sacerdotis accipiant. Non solum autem de panibus in Ecclesia hoc sanxerunt patres nostri: sed de omnibus quae altari offeruntur: dicentes atque docentes, magnum nefas esse, & per omnia diabolica temeritate hoc fieri ubicumque acciderit: & valde esse intolerabile sanctae Ecclesiae: ut sine vindicta sanctorum canonum remaneat.

Unde Chrysostomus in commentariis super Mattheum, ubi discipuli spicas manibus vellebant sabba, & pharisaei reprehendebant, sic ait: Si non licuit David & viris ejus adhuc sub umbra legis comedere panes propositionis, quando ab Abimelech panes petiti fame stimulante: quomodo nunc Evangelio coruscante persuaderi debet laicis, ut oblationum panem Deo oblatorum suis usus rapiant? Dicit namque perinde Apostolus: Qui altari serviunt, de altari participant. Ergo quia sacerdotes pro omnibus orare solent, quorum elemosinas & oblationes accipiunt: qua fronte praesumunt laici oblationes, quas Christiani pro peccatis suis offerunt, vel comedere, vel aliis concedere: cum ipsi non debeant pro populo orare? Ob hoc Papa gloriose mittere oportet illos praesumptores in excommunicationem perpetuam, ut caeteri metum habeant, & amplius haec in Ecclesia ne fiant.

CENSURA EPISTOLAE SEQUENTIS.

Quid opus est in hoc argumentis uti, regulam hanc non esse Hieronymi, cum id totus sermonis insulsi character adeo palam praeseferat, ut vel ab indoctissimi sentiri queat? Ipse non possum satis admirari tam insipientem hominem impudentiam. Quanta cum auctoritate loquitur: Purus Apostolus aliquem esse. Et hic impostor ipso Paulo felicior, in corpore constitutus fructus est visione divina, totos opinor menses inter

seraphim versatus. Deinde corpori redditus: cum antea dixisset in corpore cerni, redibat nobis praesens futurorum. Nam hujusmodi portenta de se scribit suppositius hic Hieronymus: qui si prodigiosa habuissent suam, & ineptissimam loquacitatem mutare potuisset, plane Hieronymus erat. Nunc auriculae prominentes produunt asinum, & totus sermo clamitat indignum fuisse qui in Divi Hieronymi culina ministri locum teneret. Sed audi jam lektor bellam praefationem, qua non Hieronymum exprimit jam senem, quemadmodum conatur, sed ebrium aliquem, vino simul & aetate delirantem.

PROEMIUM IN REGULAM Monachorum.

TEPESCENS in membris proclivum corpus ad terram ex qua exiit: jamque rugosa fronte senem & naturam penè portentum: vester praedilectae in Domino filiae, & Dominae Christi virginis sacratissima, Eustochium & reliquae, ad agni novas nuptias, sub obedientiae, pudicitiae, paupertatis, & religionis in domo Domini adunatae proposito: nimium sollicitae pie devotionis ac charitatis affectus, ut tremulenta manus tuae parumper vetustatis oblita: Deo vendi, non mundo: spiritui, non carni: & quod arduum est, non sibi ipsi, normam & regulam, ex Christi & Apostolorum vita collectam: ex sanctorum etiam patrum Anachoretarum, quos per septem annos eremorum antea circumiens, non sine admiratione & informatione reperi, observationis & imitationis digno commendandam praerogoniam: in praesenti libello edoceat officio calami, paratas mentes ad bonum, veluti lingua jam dudum solebat voce non mortua. O felix affectio: O desiderium in Domino commendandum: ut quae deficiente per senium & communem aetatis finem lingua doctoris, de casu timetis: qui promptus est, praesumptuosus & non timide ambulantis in via Dei: in qua tot latent adversa, quot momenta sunt temporum. Exposcit vestra pietas, ut depicta sibi pericula, & fomenta remedii proclivus semper ad malum à primordio juvenitatis rationalis & animalis animus cernens gradiatur per tuta. O prudens consilium, ut pro voce scripturam: & pro facili transuente, diu mansurum commutet. O iusta & sancta exhortatio, & perdidit exauditionis beneficio.

Sed praedilectae filiae: & si iustum & sanctum est, quod petitis à patre: patris tamen negat aetas: prohibet insufficientia, licet ingratam charitatem. Stupet oculi palpitantes in tenebris, horret naturae phrenesi inconstans manus peragere juvenilia. Hortatur tamen semper charitatis ardor, ne parcat labori, unde tantus colligitur fructus: quem non putarem in vobis carpere, quae scripturis de Domini voluntate melius estis edoctae, ut blandimentis aliquid fatear, licet veritatis: nisi ad alias succedentes per tempora informandum traheretur tantus hic labor. Vincat igitur duellum hoc charitatis: quae ipsum invincibilem vicit, ut immortalis moretur pro nobis. Verum frustra haec speratur victoria in tanta impossibilitate naturae, nisi devotae orationes filiarum adsint: quibus Deus paruit in tantum ab antiquo, ut etiam eum peniteret eorum quae primitus minando sponderat, quamvis penitere non possit.

DE CHARITATE ET UNITATE servanda.

Caput I.

QUIS autem in monasterio constitutus sororibus primus sit arripendus modus Deo vivendi & regula, ipsae solus Christus hujus propositi inceptor & doctor, in unius resolutione instruit universos. Si vis, inquit idem magister hanc petenti, ad vitam ingredi, serva mandata. Quod si forte queratur quae sint: illico sic percunctanti, exposuit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, mente, & viribus tuis: & plus quam teipsum, & proximum tuum sicut teipsum. In his duobus praecipis pendet quicquid est legis, quicquid etiam Prophetae & sancti viri percurtati sunt.

Et attendite sollicitae quaeso charissimae: quae ingredi non solum totis affectibus cupitis ad vitam, quae verè vita est (nam viventes in mundo vita non est, sed mors) sed jam Dei auxilio estis iter ingressae, quod sine praecipis charitatis

Tom. V.

non ingreditur quisquam ad Deo vivendum. Propter hoc enim Apostolus Paulus non gloriatur in linguis angelorum & hominum, non in cognitione mysteriorum Dei, non in spiritu Prophetiae, non in asperitatibus carnis, non etiam in elemosynarum operibus, quamquam ad omnia pietas valeat, dummodo charitas non desit.

Haec itaque sola reddit hominem Deo viventem, haec religiosus, haec monachos facit: sine hac monasteria sunt tartara, habitatores sunt daemones. Cum hac verò sunt paradisi in terris: & in eis degentes sunt angeli. Ideoque mihi dilectae filiae, licet longa vos macerent jejunia, abjecta & nigra vestis deformet, longa officiorum & operum religio feris: si intus desit charitas, ad infernum nondum religionis gradum perventum est. Propterea charissima hic incipientium est iter, ad Apostolicae perfectionis apicem.

Si verò relativa est charitas, & ad unum non potest proprie dilectio fraterna dici: idcirco est necesse quod plures sint, qui se mutuo ex charitate diligant: ut dicatur juxta Prophetam: Bonum & jucundum est habitare fratres in unum. Quod satis approbat sapientia dicens: Frater qui simul juvatur à fratre, quasi civitas firma. Et iterum. Si fuerint duo simul, fovebunt se mutuo: sed si unus gradiatur & cadat, vix soli, quoniam sublevantem non habet. Propterea solitariorum vita quam satis expertus sum, periculosissima est & ardua: & si bona & quampluries Deo vicina, non tamen aequè secuta est, ut simul habitantium in vinculo dilectionis & charitatis affectu. Qui sibi invicem per tentamenta deficientibus auxiliantur, sibi invicem administrant pietatis & charitatis obsequia. Sed certè si fratres aut sorores simul in unum non habitent: non jam bonum, sed malum est. Nihil bonum divinum.

Omne etiam secundum philosophos intantum habet bonitatis, inquantum unitatis attinens suae naturae. Quod si singulum unum in tota mundi machina per se creatum est bonum: non tamen est optimum, nisi ceteris nexum. Propterea in exordio mundi vidit Deus, quod cuncta quae fecerat, erant valde bona. Idcirco charissima in Apostolica vita vobis de saeculo adunatis per corpora: sit cor unum, & anima una in Domino, velut de Apostolis & de ipsis Apostolicis viris in actibus eorum legitur: Multitudinis incedentium erat cor unum & anima una in Domino. Nulla vita pro certo est deterior, quam simul degere corpore & non mente. Et verè infelices sunt, quibus non in est una, sed diversa voluntas.

Sic itaque vobis semper unus affectus, una voluntas, una fraternitas, una proportio morum, una jucunditas, una tristitia: ne quod altera placet, displiceat altera: quo gaudet altera, tristetur & altera. Et sic habere poteritis religionis propositum, si unanimes in domo Dei habitetis. Haec vera vita Dei, non diaboli: verè monasterium, non infernus: verè vita religiosa, non diabolica.

De non habendo aliquid proprium.

Caput II.

ANTE mentis vestrae oculos semper Evangelicum illud appareat stolidissimi viri illius exemplum: qui aedificium suum quod summopere fecerat, ingruentibus fluminibus, flantibus ventis, & imbris inundantibus pluviarum, totum amisit in casura: quoniam aedificatum erat in sabulo. Nec mirum charissimae, firmum enim quid aut stabile, in mobili diu manere non potest. Aedificat fatuus ille in sabulo, qui in vita Apostolica & religionis proposito appetit temporales divitias. Hic attendite filiae diligenter: hic periculum omne est, hic interitus, hic mors aeterna.

Qui jam renunciaverunt omnibus quae possident: qui relictis omnibus quae habebant in saeculo, ad Christum imitandum pauperculum, qui ubi caput reclinet, non habet: concurrentes ex voto, sub juramenti pollicitatione promiserunt, nihil temporale, nihil terrenum praeter Christum solum, non solum possidere, sed nec etiam appetere, quae jam dimiserunt, tenere vel querere debent. Hinc Christus Apostolis hoc portare faculum, neque peram, neque as in zonis mandat: ut ex hoc intelligant eorum vita seclatorem, quod nihil proprium in monasteriis licet habere. Certè non tunicam, nisi quae ex necessitate portatur: non caligam, nec aliud minimum quodque.

Verum & si Christus & Apostoli aliqua quae sibi dabatur, D d ij.